

*non naturaliter nascebatur : Non quod figura cœli esset causa quare nasceretur, sed potius significaretur per cœlum.* Verum ne sic quidem censuram temeritatis, aut impia vanitatis apud Ricciolum (f) effugere potest hic Albertus ille M., vel quicumque est auctor speculi hujus astronomici. Controvertitur enim inter eruditos, cui debeatur iste foetus, quem plerique Alberti M. esse negant. Conf. Salmeronem Tomo II. Tr. 39. p. 357. allegatum à Ricciolo loc. cit. Sixt. Senens. Biblioth. Sanct. L. VI. annot. 10. p. 426. & Mar. Merfennum Commentar. in Genesin Cap. I. v. 14. Artic. 2. p. 969. qui præterea lectori dubium movere conatur, an verba hæc de genesi Jesu Christi in speculo isto, quod tantummodo manuscriptum in Bibliotheca regia vidit, & in illo parvo speculo Lugduni 1615 impresso reperire non potuit, unquam legantur? quæ tamen expressè p. 150 in illa editione habentur.

§. III.

Post Albertum M. ordo nos jam fert ad quendam, qui in religionis negotio cum Albumasare pari passu ambulat; RABBINUM BECHAI volo, virum vario eruditionis genere, maximè verò astrologica doctrina insignem, qui circa annum Christi 1291, ut auctor est Jacobus Gaffarellus, (g) vixit. Hujus perversissimi Judæi cerebrum etiam hæc somnia occuparunt; quippe qui non modo religionem Christianam ex principiis merè naturalibus examinari debere statuit, verum eò dementiæ se abripi passus est, ut ea, qua est perfrictâ fronte, in publicum emittere non erubuerit: Jesum Christum, quem verum Messiam esse negat, ob eam causam die solis resurrexisse, quod hic planeta in genitura ipsius prædominaretur. (h) Imo ex afficta huic planetæ natura ulterius impiè de Servatore nostro judicare progreditur, eum scilicet hominem totum phœbeum, hoc est pulcherri- mum ac candidi coloris, excitatque ingenii, & audacem extitisse, cujus audaciæ testimonium credidit fuisse expulsionem Collybistarum ex templo, (i) & quod anno ætatis duodecimo cum doctoribus legis disputare non dubitaret. (k) Sed missum faciemus hunc tenebrionem, cum nihil certi de ejus Horoscopo, aliisque domorum ac planetarum constellationibus tempore nativitatis Christi, in præsentiarum nobis constet; nisi quod supra dictis subjunxerat, Saturnum in Themate Christi Natalitio Venerem habuisse conjunctam, qui congressus ex hujus Judæi corrupta mente Christum talem formaverat, qualem Nicephorus (l) ex Josepho luculento verborum apparatu nobis descripsit.

§. IV.

(f) In *Almagesto* L. VIII. Sect. 2. de *Novis Stellis* p. 188. (g) In *Curiositat. in aud.* cap. VIII §. 5. p. m. 177. (h) Conf. *Gaffarellum* loc. cit. cap. IX. §. 6. p. 198. (i) *Matth* cap. XXI v. 12. & *Job.* cap. II. v. 15. (k) *Luca* cap. II. v. 46. 47. (l) *Hist. Eccl.* L. I. c. 40. p. m. 89.